



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**IVRIS CANONICI|| SEV PONTIFICII|| PARTITIONES,||**

**Grégoire, Pierre**

**[Frankfurt], 1595**

**VD16 G 2996**

2 De iure canonico.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63677)

tenenda, sequenda, fugienda, puniendave, & quomodo sunt: cum ea auctoritate, vt & principes seculares in his quæ Ecclesiis competunt, constringat. *rr* Diuinarum & humanarum item rerum cognitionem exhibet, & voluntatis Dei & eius iustitiæ exponit mandata, virtutum omnium pædagogia, veritatem dubiorum vt aperit: laudem apud Deum & homines; Doctores, Studiosis, & regulas eius sequentibus, præbet; vt in summa ad hoc ius discendum, & utilitas & necessitas omnes impellat, maxime adultos & mala a bonis discernentes. At cum iuris naturalis ignorantia sit damnabilis, iuris tamen ciuilibus & canonici in quibusdam excusatur, in aliquibus minime, *ss* excusatur quidem aliquando a tanto, sed non a toto. *vv*.

SCHOLIA.

- qq *c. super Specula. 28. lib. 5. decretalium. titulo 34.*
- rr *c. solita. 6. de maior. & obed. lib. 1. tit. 34. c. significasti, de Elect. lib. 1. tit. 6. vide. Extrauag. vnã sanctam, de maior. & obed. in extrau. com. tit. 8. lib. 1. leges seculares non dedignantur sacros sequi canones. c. si. de Secun. nup. vide ad hac singulariter. c. suscipitis & ea quoniam idem mediator 10. distinctione.*
- ss *quanam excusent vel non vide capit. fin. prima. quest. 4.*
- tt *c. si quis dederit. 34. q. 1. c. quemadmodum. 3. 2. q. 7. c. quæro. 6. q. 1.*
- vv *c. turbatur. 1. quest. 4. cap. presbyterum. 28. distinct.*

DE IVRE CANONICO  
a TIT. II.

a De iure Canonico tractatur in genere, apud Gratianum 3. dist. Et in præmio Decretalium.

CAPVT I.

- 1. Definitio nominis iuris canonici, & eius synonyma, Canonium.
- 2. Pontificium.

DICIMVS hoc ius, de quo futura nobis disputatio, canonicum, a aliquando

A diuinum, b aliquando ecclesiasticum, aliquando pontificium. Primum nomen a regulis iuris definitis tractum est; est enim *κανών* regula: seu a præceptis quibus certo modo, veluti regula aut norma actus diriguntur. c Ecclesiasticum dicitur ratione materia & personarum ecclesiasticarum, quæ potissimum hoc iure reguntur. Pontificium ab authoribus, sacris antistitibus, qui & pontifices, ex quorum auctoritate hoc ius vim & sanctionem habet.

SCHOLIA.

- a *c. quod clericis. 9. de foro comp.*
- b *c. 1. iuncta Glo. 1. 23. q. 7.*
- c *c. canon. c. regula 3. dist. Isidor. 6. Etymolog. 6. 16. vide alia apud nos qua diximus lib. de arte iuris. c. 8. num. 3. adde quod ait Lucian. in Harmonide. ἀλλὰ τὸ κινδύλιον ἀετῆς ἀπίσης ὁ γράμων, φασὶ ἔσθαι κανὼν τῶ τοιοῦτο. id quod est caput omnis virtutis, quomodo vt aiunt & regula, & rursum idem in Scythia. τοῦ τοιοῦτου κινδύλιος κανὼν id est, hac tibi Græcanica regula. pensiones canonis inter vectigalia, dicuntur etiam, quæ certam habent & regulatã singulis annis præstationem, vt abunde docemus lib. 3. Syntag. c. 5. extant & tituli de canone Urbis Roma lib. 11. c. tit. 22. de canone Largitio. lib. 10. c. tit. 20. & similes alii. Dicuntur & epistola canonice. principum publica apud Cassiodor. lib. 11. Variar. c. 23. & canonicaria fides, lib. 2. c. 8. & canonici solidi, iusti & regulari ponderis, lib. 2. c. 25. & canon Telonei & canon Transmarinus. lib. 5. c. 39.*

CAPVT II.

Definitio rei.

IVS enim canonicum dicitur, a ius posituum, quod a summis Pontificibus Ecclesiæ Catholice traditum, b constitutum, c vel approbatum fuit; d nisi enim vnum illorum statuto adsit, legis vim non habet, cum solius principis sit legem generalem condere, abrogare & interpretari.



rari. e Ius dictum quasi iustum, ius genus, A  
lex iuris species. f.

## S C H O L I A.

a Vide qua diximus lib. de arte iuris, cap. 8.  
num. 1.

b Quaedam enim in iure hoc tradita, qua  
excerpta ex sacris scripturis, & sacris con-  
ciliis, repetita sunt, ut in can. significasti,  
4. de electio. cano. sancta Romana, 15.  
distinct.

c Ut sunt Decretales epistola, rescripta, con-  
stitutiones summorum Pontificum.

d Ut in cap. significasti, de maior. & obedi-  
c. Ecclesia sancta Maria, 10. de constitu-  
tio. lib. 1. tit. 2. sic approbata compilatio-  
nes decretorum & decretalium, de quibus  
antea diximus, a Gregorio XIII. com-  
probata decretales Sixti, in concilio Lug-  
dunensi, Clemētiarum, in concilio Vien-  
nensi, extranagantium, ab aliis Pontifici-  
bus. Nostra enim merito facimus quibus  
omnis ex nobis impartitur autoritas, ut  
ait Iustinia. in l. 1. verfic. omnia enim, de  
veter. iur. enuclea. C.

e Vide l. 1. & fin. de legib. in Pandect.

f can. ius generale, 1. dist. c. ius dictum, 12. de  
verbor. significatio.

## C A P V T I I I.

Diuisio seu partitio prima iuris Canonici.

C O N S T A T hoc ius, scripto & non scri-  
pto. a Ad ius scriptum pertinent, au-  
thoritates sacrae paginae, concilia Ecclesia-  
stica, sanctorum Patrum sententiae relatae  
& probatae, constitutiones principum Ec-  
clesiasticorum & secularium, b decreta seu  
decretales epistola. c.

## S C H O L I A.

a Quidquid in Ecclesia Catholica tenetur, E  
aut autoritas est scripturarum, aut tra-  
ditio vniuersalis, aut certe particularis &  
propria institutio. can. Catholica, 11. di-  
stin. Diuidunt iura sua Graeci & Latini,  
in scriptum & non scriptum, §. constat, &  
§. & non ineleganter, de iure natura. apud

Iustin. l. ius ciuile, 6. §. 1. de iustit. & iur.  
P. Plato 8. de repub.

b can. si in adiutorium, 10. dist. citantur saepe  
in decretorum libro iura ciuilia, ut in can.  
non autem, can. si quis non dicam, de pœ-  
nit. dist. 1. can. propter superfluam, 22.  
cum sequentibus. 2. q. 6. & alibi.

c can. in Canonici scripturis, & tota 19.  
distinct.

## C A P V T I I I I.

De scriptura diuina.

A D sacra Euangelia & Apostolica scri-  
pta, & reliqua quae legis diuinae sunt,  
iura Pontificia, ut nautae ad Cynosuram re-  
spiciunt, neque quicquam aduersus sacram  
paginam admittere, conditorum cano-  
num est intentio. a.

## S C H O L I O N.

a Vide fuse totam duodecimam distinctio-  
nem.

## C A P V T V.

Concilia Ecclesiastica quae dicta.

C O N C I L I A Ecclesiastica, alio nomine  
& synodi Graecis dicuntur: Latinis,  
coitiones fidelium. Concilii nomen con-  
sultationem cum resolutione indicat: Sy-  
nodi, ipsam tantum proprie congregatio-  
nem ob concilium exquirendum & con-  
cludendum, vtraque tamen appellatione  
promiscue utimur. a.

## S C H O L I O N.

a Vide can. 1. & 2. cum glos. 17. distinctio-  
nis, quae ad concilia requirantur.

## C A P V T V I.

- 1 Conciliorum species, vniuersalium.
- 2 Prouincialium.
- 3 Episcopaliū.
- 4 Monasticorum.
- 5 Posteriorum efficacia.

C O N C I L I O R V M Ecclesiasticorum  
species quatuor. Prima, conciliorum  
generalium, a quae ad regulas constituen-  
das vniuerso orbi, & per singulas eius par-



tes, prout exigit necessitas, congregantur; unde œcumenica dicuntur, in quibus representatur Ecclesia vniuersalis: ad quæ etiam prælati ex vniuerso orbe congregantur, auctoritate summi Pontificis, qui in illis præsidet, vel eius nomine, eiusdem legati. Alioquin nec legitima, nec rata sunt, nisi postea per eundem summum Pontificem probentur. c.

2 Secunda species est conciliorum provincialium, quæ coguntur ab Archiepiscopo, ut a capite suæ prouinciæ, conuocatis Episcopis eiusdem prouinciæ, d qui venire tenentur, vel excusationem mittere legitimam, e eaque obseruare.

3 Sunt in tertia specie Synodi Episcopales, ad quas Episcopi vocant suæ diœceseos sibi subditos clericos, f & curam animarum habentes presbyteros. g.

4 Quarta species est conciliorum seu congregationum quas ineunt alicuius ordinis monachi vel religiosæ personæ, ex præpositorum suorum auctoritate. b.

5 Cæterum concilia prouincialia, episcopalia, monachorum, nullo modo disponere possunt contra decreta generalium conciliorum, recepta ab Ecclesia. Habent & singula concilia prædicta suos limites, extra quos non imperant: ut prouincialia, suas prouincias: episcopalia, suas diœceses: monastica, suorum ordinum personas & negotia, quibus decreta mandant seruari, dummodo non aduersentur canonibus conciliorum generalium, vel conciliorum per generalia receptorum. k.

#### SCHOLIA.

a De decretis quatuor conciliorum generalium, in can. 1. sicut, can. sancta, 15. distin. in can. sancta, can. sexta, can. septuaginta, can. viginti, 16. dist. l. cognoscere, 7. §. sequentes, l. nos reddentes, 8. §. suscipimus, C. de summa Trinitate, & fid. Cathol. nouel. 131. c. 1. De aliis decretis aliorum conciliorum in can. sicut, §. quintum, can. sancta, & sequentib. 15. distin. cano. sancta, can. sexta, can. prima, can. vlt. ibidem.

A b Tota 17. dist. vido & decimam quintam, decimam sextam & quinquagesimam.

c Vt liquet ex tota decimasexta distinc.

d De prouincialium conciliorum conuocatione tota 18. distinc.

e can. non oportet, can. Episcopus, 18. de pœna vero si non venerint, ponitur in can. si quis Episcoporum, eadem 18. distinc.

f Clem. 1. ubi ratio, de senten. excommun. cum maius sit prouinciale concilium quam singularis prælati prouinciæ ac iudicium, vide can. habeantur, 18. dist. integrum quod plurimorum sententiis comprobatur pro quo can. de quibus, 20. dist.

g cap. quod super, de maior. c. obed. c. prudentiam, de offic. delegat.

h De quibus in c. in singulis, c. ea que, de stat. monach. & in extranag. Benedicti 12. ad Monachos nigros, cap. statuimus, & cap. rursum.

C i Ut expresse cautum est can. 1. 18. distinc.

k Qua concilia recepta sint, & que non, docentur in tota 16. distinc. Gratiani.

#### CAPVT VII.

##### Utilitas conciliorum.

EXPEDIT Reipublicæ Christianæ, haberi frequenter hæc concilia, ad tollendas hæreses, ad mores reformandos, ad sopienda schismata, ad corrigendos abusus, ad transigendas contentiones & lites, cum in orbe toto, tum etiam in singulis prouinciis, & per singula monasteria. Synodorum quippe intermissio multorum malorum caulam in Ecclesia Dei existit.

#### SCHOLION.

a Quando habenda sint synodi, necessitas primum docebit: deinde concilium Basiliense in Pragmatica sanctione, titulo de auctoritate sacrorum conciliorum, & ibi glos. de conciliis prouincialibus & Episcoporum, can. 2. 4. cap. propter Ecclesiasticas causas, can. habeatur, 18. dist. can. vti nam, 76. distinc. de modo habendi synodum, & de ceremoniis, viden. Burchard. in si-



*in fine decretorum, c. fin. & nouella Iustina. 137. c. 1. 4. §. & nouel. 123. de sanctis. episcop. c. 10. & canon. apostol. 36. cap. 1. synodi Nicana. cap. Iustina. in cap. 1. nouel. 137.*

## CAPVT VIII.

## Patrum sententia.

**S**ANCTORVM patrum sententiæ, non omnes pro legibus habentur, sed tantum illæ, quæ a iuris Pontificii auctoribus ad hunc finem selectæ & probatæ fuerunt. **B**  
**a** Alioquin sanctorum quamuis patrum interpretationes, non præponderant canonum statutis. Aliud enim est habere doctrinam interpretandi, aliud definiendi, & determinandi habere potestatem.

## SCHOLIION.

**a** Explicantur hæc in principio 20. dist. per Gratianum, & in can. noli meis literis, & can. negare, & can. noli frater, ubi & alia ratio 9. dist. Cessante tamē dispositione iuris, dicta Sanctorum adduci in probationem possunt, ut notat Panor. ad can. Apostolica, de his qua sunt a maior. parte. cap. & ad can. certificari, de sepultur.

## CAPVT IX.

- 1 Constitutio quid.
- 2 Et formula diuersa eius.
- 3 Epistola.
- 4 Decretum.
- 5 Edictum.
- 6 Sanctio.

**1** **C**ONSTITUTIO est, quod vel summus Pontifex, vel Imperator, vel Rex, vel alius princeps statuit, vel edixit. **a**  
**2** Constitutionis principis spiritualis vel secularis, tres modi præcipui: per epistolam, per decretum, per edictum. **b**  
**3** Epistola dici potest scriptum aut rescriptum, per quod principis voluntas exprimitur, ut pro lege sit. **c**  
**4** Decretum quando pro tribunali negotio cognito, quod ibi decreuit prin-

**A** ceptus, in similibus pro lege haberi vult. **d** Hinc epistolæ decretales vim legis habent. **e**

Edictum, est generalis constitutio principis, aliquid iubens vel prohibens. **f**

Sanctio fit, si legis transgressoribus grauis aliqua vel capitalis pœna imponitur. **g**

## SCHOLIA.

**a** can. constitutio, 2. dist. §. sed quod principi, de iure natura. l. 1. C. de constitutio. princip.

**b** d. §. sed quod principi placuit, & l. 1. §. 1. de constitutio. princ. lib. 1. P. tit. 4.

**c** Huius generis fuerunt plures epistola SS. PP. Leonis, Clementis, Gregorii, Innocentii, & aliorum, ex quarum capitibus, selectæ sunt resolutiones, ut ex rescriptis ad particularium petitiones, sic & in iure civili, leges conflata ex epistolis & rescriptis principum: ut ex epistola D. Pii ad Elianum scripta, l. 2. de his, qui sunt sui vel alien. iuris. P. §. sed & dominorum, eo. tit. apud Iustina. ex epistola Adriani, l. si. C. de constit. §. si plures, de fidei iusso. apud Iustina.

**d** **V**t in l. nec quicquam, 9. §. ubi decretum, de officio proconsul. l. 1. P. tit. 16. est & decretum constitutio summi Pont. cum concilio Cardinalium ad nullius consultationem edita, secundum gloss. in princ. 3. dist. & Decium ad rub. de constitu. in 2. lectura, num. 4.

**e** can. si Romanorum, 19. dist. c. in causis, 19. de senten. & re iudic. lib. 2. decret. tit. 27. dicitur & decretalis epistola, constitutio Pontificis ad alicuius consultationem promulgata.

**f** **V**t in l. 3. C. de legi. in l. hac edictali, C. de secund. nup.

**g** **V**t in §. sancta quoque res, de rer. diuis. apud Iustin. l. sanctio legum, de pœni. P. vide Sextum Pompeium in verbum sanctum. Olim leges sacra sanctione firmata, deuonebant caput transgressoris morti, ut liceret cuique huiusmodi impune occi-



dere: exemplalegis apud Barnabam Brissonium lib. 2. de formulis & solemnibus populi Romani verbis. Sanctionis etiam nomine, omnis principis lex contineri potest, l. unica. C. de nouo codic. facien. glos. ad Clemen. 2. ad ver. b. sanctioni, de vita & honestat. clerico.

## CAPVT X.

- 1 De iure Pontificio non scripto.
- 2 De conuientia.

- 1 **I**us Pontificium non scriptum, in consuetudine recepta consistit Ecclesie Romanæ, a & in stylo curiæ eius. b.
- 2 Et sæpe quoque conuientia instar est iuris. c.

## SCHOLIA.

- a can. nolite, can. Ecclesiasticarum, 11. distinct. tota 12. distinct. 1. ad Corinth. C. cap. 12.
- b cap. ex literis, de constitution.
- c cap. cum iam dudum, de prabend.

## CAPVT XI.

- 1 Consuetudo quid.
- 2 Et mos.

- 1 **C**ONSUETUDO, est ius moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. a Interdum & consuetudo legem interpretatur, corroborat & abrogat, b consuetudo pro moribus probatis: alioquin improbi; quantumuis longo vsui in nixi, nomine corruptelæ dicendi. c.
- 2 Mos, est longa consuetudo, de moribus tantummodo tracta.

## SCHOLIA.

- a can. consuetudo, 1. dist. 1. de quibus, 32. cum tribus sequent. de legibus in P. l. 1. & 3. qua sit long. consuet. C. lib. 8. tit. 53.
- b Notat glos. in l. fin. qua sit long. consuet.

A. glos. in §. ex non scripto, de iure natur. & ua consuetudo, est aliquando secundum legem, quandoque præter legem, quandoque contra legem. de consuetudine contra legem, in can. illa, 12. distinct. c. fin. de feruis. cap. 2. de obserua. ieiunior. verum contra ius diuinum non tenet, contra vero ius posituum tenet, ex ratione locali: qua diuersa sit a iure communi. vide cap. 1. de constitutio. in Sexto. c. tanto, & ibi notata, eod. titu. apud Gregor. ut qua in illud cap. fuisse scripsit Rochus de Curte, sectio. 51. ex stat. tituli videndi de consuetudine, lib. 1. Decretal. titu. 4. & in Sex. lib. 1. titu. 4. & lib. 1. extrauagantium communium. Consuetudinis non tanta alioquin autoritas, ut vincat rationem aut legem, cap. cum consuetudinis. 9. de constitut. can. sit sancta, can. illud, can. diuturni, can. consuetudo, can. nos consuetudinem, can. quemadmodum, 12. distinct. can. in his, 11. distinct. neque sine ratione valet contra ius canonicum, can. consequens, 11. distinct. atque in præscribenda consuetudine contra rationem iuris scriptam vel ius canonicum, requiruntur quadraginta anni, cap. ut litigantes, de officio ordinar. in Sexto. vide cap. super eo, de cogna. spirital. facit cap. cum de beneficio, de prabend. in Sexto. glos. in cap. fin. de consuetud. in Sexto.

- c cap. fin. de consuetud. can. mala consuetudo, 8. distinct. can. constitutiones, 10. distinct.

## CAPVT XII.

- 1 Consuetudinis diuisio & generalissima que.
- 2 Generalis.
- 3 Localis.
- 4 Specialissima.

**C**ONSUETUDO, vel est generalissima, i. veluti vniuersi orbis, a vel generalis, quam non solum ciuitas, sed & prouincia seruat. b.

Vel



- 3 Vel specialis seu localis, quæ in aliquo A  
pago, vel in aliquo tantum ciuitate locum  
habet. e.
- 4 Vel specialissima, quæ est seruata ab ali-  
quo patrefamilias. d.

## S C H O L I A.

- a Vi in can. Ecclesiasticarum, can. Catholi-  
ca, 8. xj. dist.
- b Vi in c. ex tuarum, de auctor. & usu pal-  
lii, cap. cum Ecclesia, de electio. videl. de  
quibus, de legib. in P.
- c Vi l. venditor, §. si constat, commun. pra-  
dior. P. cap. venientes, de iure iurand. l. si  
de interpretatione, de legib. Pand.
- d l. vel vniuersorum, de pignor. actio. cum  
similib.

## C A P V T X I I I.

- 1 Stylus quid.
- 2 Et eius, & consuetudinis considera-  
tio. C

**S**TYLVS est formula, qua vtuntur curia-  
les aula Romanæ in rescriptis, vel aliis  
negotiis expediendis. a.

Consuetudinis & styli duplex confide-  
ratio: vniuersalis & particularis. Vincit  
consuetudo particularis, rationalis & pro-  
bata, in loco vbi est, generalem, propter  
singulares naturales rationes, quæ in lo-  
co singulari magis sunt viles. b Idem in  
stylo particulari dicendum.

## S C H O L I A.

- a cap. cum in causis, de sentent. & re iudic.  
Stylus proprie Graphium, quo scribeba-  
tur olim in tabulis: vnde translative pro  
scripto, vel cuiusque solito more, dictio  
vsurpatur. Inde liber stylus, in l. i. C.  
de sacrosanct. Eccles. in l. fin. C. qua res  
vendi non possint. Stylus & proprie ap-  
pellari poterit consuetudo qua respicit or-  
dinem loquendi, scribendi vel proceden-  
di: cum consuetudo absolute respiciat de-  
cisionem. Barthol. in l. de quibus, de le-

gib. Ioannes Andreas, & text. in c.  
quam grani, de crimin. falsi. Contra sty-  
lum, factum improbat in l. sacri affa-  
tus, de diuers. rescript. C. & Stylus potest  
allegari in decisionibus, quando ius non  
est in contrarium, cap. literas, de iura-  
mento calumnia. vide Panorm. ad cap.  
ex literis, de constitutio. vbi pro lege ha-  
tur stylus, & ibi notant interpretes, &  
cap. 2. de prebend. in Sex. Felin. ad cap.  
2. num. 16. de rescript.

- b cap. 1. de consuetud. in Sext. sic statuta  
municipalia variant, ob diuersas morum  
rationes, & vt Plutarch. ait in Themis-  
tacle, ὁ δὲ ἐστὶν, ὅμοιοι διαφέρουσιν ἀνθρώπων: ἀλλὰ  
δὲ ἀλλοίσι καλὰ. καὶ ὅτι δὲ πᾶσι τὰ εἰκόνα εὐζυνίῃ  
νομῶν. id est, ὁ hospes, leges diffe-  
runt hominum: alia enim aliis hone-  
sta & pulcra. Honestum autem o-  
mnibus domestica conseruare & or-  
nare. Vide exempla apud Polybium l. 5.  
8. *Emilium Probum, in proœmio vita-  
rum Imperatorum.*

## C A P V T X I I I I.

- 1 Alia iuris Pontificii diuisio.
- 2 Ius commune & corpus iuris, & qua  
extra.

**E**X superioribus, alia iuris Pontificii  
oritur diuisio, ius commune, & singu-  
lare seu statutorum. a.

Commune dicimus, quod in cor-  
pus iuris translatum est. b Corpus por-  
ro iuris Pontificii constat voluminibus,  
decreti Gratiani, Decretalium Gregorii,  
Sexti decretalium, Clementinarum, ex-  
trauagantium communium, & Ioannis  
22. Extra corpus iuris alia sunt, quibus  
vtimur aliquando, veluti regulæ cancel-  
lariæ, c Pragmatica sanctio, concordata  
inter summum Pontificem & Regem  
Galliarum, statuta & consuetudines loco-  
rum, & aliæ decretales, quæ iuris corpo-  
re non continentur. d.

B 2



## SCHOLIA.

- a *cap. cum dilectus de constitution. c. 1. eo. ut in Sex.*  
 b *cap. pastoralis, de fide instrum. §. fin. de reservatione. in Pragma. sanctio.*  
 c *Deregularum cancellaria auctoritate tractat Ioannes Francisc. de Pauinis, in proem. extrauagan. nos quoque, & de Pragmatica sanctione libro de iuris arte, cap. 8. num. 8. 9. 10.*  
 d *Secundum quas & index indicare potest, si iuri sint consona, c. pastoralis, 8. de fide instrum. lib. 2. decr. titu. 22.*

## CAPVT XV.

- 1 *Positiones iuris.*  
 2 *Et materia subiecta.*

- 1 **I**VRIS huius sunt duæ positiones, publicum & priuatum. Publicum quod ad statum reipublicæ pertinet: priuatum, quod ad singulorum utilitatem. **C**  
 2 **T**raetat ius canonicum, de rebus diuinis & humanis. De diuinis, exempla, vt de fide Catholica, de hæresi, de sacramentis, De humanis, vt de contractibus, de testamentis, & similibus.

## SCHOLIA.

- a *Ex Vlpian. in l. 1. §. 1. de iustit. & iur. P. ex D §. penult. eod. titu. apud Iustinia.*  
 b *Proxime citatis iuribus, de materia subiecta iuris agitur.*

## CAPVT XVI.

- 1 *Vnde iura Pontificia.*  
 2 *Et quis ea condet.*

- 1 **E**X malis moribus ortæ sunt leges bonæ, quæ eos emendarunt, a latæ vel approbatæ a summis Pontificibus. **E**  
 2 **C**ardinales autem etiam sede vacante leges generales condere non possunt, c. particularem tamen inter sibi subditos poterunt ferre, non aduersantem genera-

**A** libus. Legatus summi Pontificis: *d* Patriarcha in Patriarchatu: *e* Archiepiscopus in sua prouincia: *f* Episcopus in sua diocesi. *g*.

## SCHOLIA.

- a *cap. nam concupiscentiam, de constitutio.*  
 b *cap. proposuit, de concessio. prebend. Clem. 2. vt lite penden. cap. 2. de prebend. in Sexto. cum sacerdotio legis quoque condenda potestas translata fuit, c. translato, de constitutio. c. significasti, de election. can. sunt quidam, 15. q. 1.*  
 c *cap. ubi periculum, 2. §. idem quoque, & ibi glos. ad verbum intromittant, de election. in Sexto. c. 1. & ibi glos. ad verba, se de vacante, de schismat. in Sexto. tractat. fuse Sebastia. Medicus, prima parte tractatus de legib. & statutis, quest. 10. de Legato, q. 11. & de Patriarcha questio. 12. de Archiepiscopo, quest. 13. de Episcopo, quest. 14. de Abbatibus, quest. 15. de capitulo quest. 16.*  
 d *Hostiensis in Summa de officio legat.*  
 e *can. conquestus, 9. quest. secunda.*  
 f *can. quod dicitis, 16. distinctione.*  
 g *c. fin. de constitutio. in Sex. c. nouit, de iudic.*

## CAPVT XVII.

*Qui vti debeant hoc iure.*

**H**OC iure vti debent omnes Christiani, in scholis, & in iudiciis: *a* nec liberum de illo statuere, sed secundum illud iudicare oportet. *b*.

## SCHOLIA.

- a *In proemio Decretalium: fortiora enim sunt iura Pontificia legibus ciuilibus, maxime in causis Ecclesiasticis, cap. penult. & fin. de secund. nupt. c. 1. & cap. fin. de constitui. cano. lege Imperatorum, & can. certum est, & can. constitutiones, 10. dist.*

*b can.*



b *can. erit autem lex. §. fin. cum seq. 4. dist. A*  
 c. 1. & *cap. ne inuitaris, de constitutio. can.*  
*si quis suadente diabolo. §. committunt. 17.*  
*qua. 4. l. 2. C. de crimin. sacrileg. l. minime.*  
 23. *de legib. P. exemplum pone in pœnitentia.*  
*cap. omnis viriisque sexus, de pœnitentius,*  
*in blasphemia. in cap. statuimus, de maledic.*  
*in materia iuramenti, cap. cum contingat,*  
*de iureiurando. cap. licet, & ca. 1. eod. tit. in Sext. & in aliis qua fauorem*  
*animæ respiciunt, & causam peccati, c. nouit,*  
*de ind. can. nos inter, de purg. can. cum similib.*

## CAPVT. XVIII.

## Finis iuris.

**F**inis vltimus iuris Pontificii, est dirigere animas ad Deum. *a* Ad eum finem curat emendari vitia, & bene viuendi regulas præscribit, *b* disciplinam Ecclesiasticam instituit, conseruat, *c* audaciam humanam coercet, vt tuta sit bonorum innocentia, *d* finem litibus imponit, *e* fraudibus occurrit, *f* præcipit faciendâ, prohibet mala & illicita, permittit interdum quædam, ne deteriora sequantur. *g* Et in summa, docet, honeste viuere, alterum non lædere, ius suū cuique tribuere: quæ sunt iuris tria præcepta præcipua. *b*

## SCHOLIA.

- a* *Gloss. ad can. cum contingat, de iureiur. ca. D*  
*vt animarum. de constitut. 25. in Sex. in*  
*procem. Decretal.*  
*b* *Can. prodest. quaestione quinta.*  
*c* *ca. ca. & ca. regula 3. d. ca. facta sunt au-*  
*tem leges. 4. d.*  
*d* *can. 1. & 2. & can. facta. 4. d. cap. non fru-*  
*stra. 23. q. 5.*  
*e* *cap. finem libulus, de dolo & contumac.*  
*titulo de prescrip. l. 1. C. de nouo co. facien.*  
*cum similib.*  
*f* *Vide c. quia propter, de electionib.*  
*g* *c. priuileg. §. f. & c. fin. 3. dist. l. 1. & l. legis*  
*virtut. 7. de le.*  
*h* *c. 1. vers. ideoque. in Procem. Decret. §. iu-*  
*ris præcepta. de insti. & iur. l. iustitia. 10.*

*c. iuris præcepta, eo titul. in P. officior. &*  
*3. de sinib. nos de his præceptis. etiam libr.*  
*2. præludiorum.*

## CAPVT IX.

## I Materia iuris pontificii.

**O**mne ius † quo vtimur, vel ad res, vel ad personas, vel ad actiones, siue actus earum pertinet. Agamus primum igitur de rebus.

## SCHOLIA.

*a* *In lege 1. de statu hominum. §. final. de iure*  
*natural. gent. & ciuil.*

DE REBUS ET EARVM  
Diuisione.

## \* TIT. II.

*a* *Agitur de Rerum diuisione. libr. 2. Iuris ciuilis.*  
*tit. 2. libr. 1. P. tit. 8.*

## CAP. I.

## Appellatio rei quid contineat.

**R**Ei appellatio, quæ in patrimonio nostro, & quæ extra sunt, continet iura & causas. *b*

## CAPVT II.

*I* *Diuisio rerum prima in corporales & in-*  
*corporales. 2. Et qua sint. 3. Quomodo*  
*distinguantur. 4. Materia & forma quid.*  
*5. Corpora simplicia & composita. 6. Res*  
*mobiles, immobiles, & semouentes.*

**R**erum diuisio † vna generalis, vt alia *1*  
 corporales, alia sint incorporales: *c*  
 illæ sunt, istæ esse intelliguntur. *d*

Corporales sunt, † quæ sui natura tan- *2*  
 gi possunt, quamuis actu interdum non  
 tangantur, veluti, fundus, homo, vestis,  
 & similia, quæ constant dimensionibus,  
 & longitudine, & profunditate. Visibiles  
 sunt corporales, inuisibiles incorporales,  
 quas intelligibiles dixit Plato. *f* Incorporales *g*  
 quæ tangi non possunt, qualia sunt,  
 quæ in iure consistunt, vt hæreditas, *b* vsus-  
 fructus, *i* obligationes, *k* & similia.